res ſcriptas ſtudioſe volue/
rit meditari. Unde ad ꝓpoſi
tum. q̄ꝫ violenꝰ dñm tenue/
rūt impellentes ꝛ ꝑcutiētes
attrahentes ꝛ retrahētes. il
li veſte. illi crinibꝫ. illi barba
illi manibꝫ. illi bꝛachijs. illi
collo aut ſcapulis inherēteſ
Ut Leo ait. Quicꝗd ſacer/
dotū inſtinctu furoꝛ popu/
laris audebat ex hoc colligi
poteſt. qm̄ teſte mattheo ac/
ceſſerūt ꝛ iniecerūt manꝰ in
eum. dicturus tenuerūt eū.
ꝗd fuit neceſſe pꝛemittere ꝛ
iniecerunt manus in eū. cer
tum em̄ eſt. ꝙ nō niſi māibꝫ

tenere eū poterant. niſi quia
illatarū iniuriaꝝ violentiaꝫ
ſignificare voluiſſet. Nā inij
cere violentiā impoꝛtat ꝛ cū
hoc incertitudineꝫ. quaſi di
ceret. cū magna violētia vn
diqꝫ manibꝫ impulerūt. Ad
hoc deniqꝫ agendū impulit
ira excitata qua ſe de ꝓſtrati
one quam ſibi per magicaꝫ
artem putabāt illatā vindi
care voluerūt. Et quō pleni
inuidia ꝛ odio furentes pe/
perciſſent dño in captōne ꝛ
ligatiōe quem etiaꝫ in cruce
pendentē ꝛ moꝛientē laceſſe
bant. imo moꝛtuuꝫ vulnera
bant. Facit ad idem repen/
tina diſcipuloꝝ fuga. nō re/
oꝛ ſubito fugiſſent qui ꝑmo
defendere parati fuerꝫ ſi mā
ſuete eum tractari vidiſſent
Sed quid ait euangeliſta.
Uidētes diſcipuli qđ futu/
rū erat. id eſt. qꝛ occidēdus
erat. ꝛ vnde hoc viderūt niſi
ex hoꝛribili eiꝰ tractatōe. cō/
pꝛehenſione ꝛ immiti ligati
one. in quibꝫ tantaꝫ oſtende
runt ſue ferocitatꝭ rabieꝫ vt
in hoc nō dubitarēt imo cer
tiſſime cognoſcerēt ꝛ cōijce/
rent diſcipuli dñm ſuum ab
his canibꝫ viuū euadere nō
poſſe. Referꝫ deniqꝫ beatuꝫ

Bern. hoc dicere ꝙ ꝓſtraue
rũt eũ in terrã ſicut ipſe eos
proſtrauerat. Et appodiaue
rũt ſuꝑ pectus eiꝰ. ſpuerunt
in faciem eiꝰ. ⁊ duriſſime col
lum ⁊ manus ligauerũt. Et
q̇a ſudor ſanguis adhuc ex
nimia mortis anxietate de/
fluebat ꝑ totam facieꝫ in os
eius. ⁊ ſimiliter iudeoꝝ ſpu/
ta de genis. nec abſtergere li
gatus poſſet. ſuffocatꝰ vtiq̃ꝫ
fuiſſet extũc niſi diuia virtꝰ
eũ ad vlteriora ꝓ nobis tole
randa reſeruaſſet. Nõ ſi ita
eſt puto eũ ꝑ reuelatõem id
nouiſſe quõ multe ſancte ac
deuote perſone varias circa
dñicaꝫ paſſionẽ reuelatões
meruerũt. Quibꝫ piũ eſt pia
fide credere. licet nõ temere
diffinire. maxime ſi ſcptũre
nõ diſſonant canonice. Ve/
rũ talia veſtre cõmittens de
uotioni. relinquẽs incerta.
ſolidis ſanctorũ dogmatibꝫ
⁊ textui inhaeream. Scribit
tñ deuotꝰ Bonauen. de hac
captiuatione ⁊ ligatione ita.
Quiſ inq̇t ſine gemitu audi
re poſſet qualiter in hora il/
la crudeles homĩes homici
das manꝰ iniecerũt ĩ regẽ glĩe
⁊ truculẽti lictores mitis ie/
ſu innocẽtes manꝰ vinculis

ꝯſtringẽtes. ipſm mãſuetiſſi
mũ agnũ ad inſtar latronis
traxerũt ad victimã. Traxerũt
aũt vt iohẽs ait. ad annã ꝑ/
mũ. ſcꝫ de orto ꝑ vallem ioſa
pat trans torrentẽ cedron
in hierl'm. Vos cogitabitis
cũ q̃ntis clamoribꝫ impulſi/
onibꝫ. iniurijs. Erat aũt an
nas ſocer caypbe q̇ ꝯſilium
dederat. qꝛ expedit vnũ ho/
minẽ mori ꝓ ꝓplo. ex cõmiſſi/
one ſcꝫ Caypbe. vt vult Au
guſtinꝰ ſuꝑ Johẽm. vt ſic vi
derẽt minoris culpe dãnan
do eũ q̇ a ſimili pontifice dã
narẽt. Et ſc̃m Bedaꝫ. vt qui
erant affines ſanguine ſocia
renẽt in ſcelere. Et tranſeun/
do in domũ Caypbe domũ
Anne p̃terire oportebat. qꝛ
q̃ſi pontifex habebatr. Eme
rant eĩm alternatĩ vicibꝫ pon
tificiũ ab ſq̃ꝫ merito dignita
tis ab herode ꝯtra legis di
ſpoſitionẽ. vt vult Joſephꝰ.
Nõ ğ mirũ ſi iudicabãt ini/
que iniqui pontifices. maxi
me eũ q̇ eos in ſuis vicijs ar
guebat. vt vult Beda ⁊ Ra/
banꝰ. Sequebatr autem ie/
ſum ſimon petrꝰ a longe. Et
alius diſcipulus ſcꝫ Johan
nes. quoniam poſt fugaꝫ cũ
ceterĩ reſumpto animo tan/

ꝗ̄ fortiores et magis aman
tes reuerſi ſequebant̄. Diſci
pulus autē ille erat notus
pontifici ⁊ intrauit cum Je
ſu in atrium pontificis. Pe/
trus autem ſtabat ad atriū
foris. Exiuit ergo alius di/
ſcipulus q̄ erat notus pon/
tifici et dixit hoſtiarie et in/
troduxit Petrum. Dixit er/
go Petro ancilla hoſtiaria.
Nūquid ⁊ tu ex diſcipul' es
hominis illius. At ille nega
uit coram omnib' dicēs Nō
ſum. Stabant aūt miſtri et
ſerui ad prunas. quia frigus
erat. ⁊ calefaciebant ſe. Erat
aūt ⁊ Petrus cū eis ſtans et
calefaciens ſe. deinde exiuit
foras in atrium ⁊ ſtatim gal
lus cantabat. Et recordat'
eſt Petrus verbi ieſu quod
dixerat. p̄uſꝗ̄ gall' ⁊c̄. Pon
tifex ergo ſcilicet Annas in
terrogabat ieſū de diſcipu
lis ſuis ⁊ de doctrina ei'. q̄r
tenebant eum vt ſeductorē
⁊ doctrine falſe p̄dicatorem
Cum autē de diſcipulis ni/
hil ad eorū cōmendationē
dicere potuit. quia ꝯflicto eo
oēs fugierunt. nec tamen
infamare voluit. ideo nō ad
primā. ſed ad ſecundā que
ſtionē reſpōdens ait. Ego
palam locutus ſum mundo
ego ſemꝑ docui in ſynagog̃
⁊ templo quo omnes iudei
conueniunt ⁊ in occulto lo/
cutus ſum nihil. Nihil locu
tus fuerat dn̄s in occulto. li
cet multa in parabolis. mul
ta ſeorſum diſſeruit diſcipu
lis. Qm̄ ſm̄ Auguſtinū ſuꝑ
Joh omel. cxii. non ita dice
bat paucis vt ab eis quibus
dictū fuit taceret̄. ſꝫ ita poti/
us vt vſꝗ̄quaꝗ̄ predicare/
tur. et ſic per paucos innote
ſceret multis. Hinc ip̄e eiſ/
dem paucis dixit Matth. x
Quod dico vobis in tene/
bris dicite in lumine. ſcꝫ pa/
rabolas exponendo. Et qd̄
in aure audi[illegible]s p̄dicate ſuꝑ
tecta. omnibus annūciādo.
Subdit domin'. Quid me
interrogas. Interroga illos
qui audierunt quid locutus
ſum ip̄is. Ecce hi ſciunt que
dixerim ego. Qua reſponſi/
one dominus oſtendit do/
ctrinam ſuā fore verā. ⁊ ex lo
co publico ad h̄ deputato. ⁊
ex auditorū teſtimonio. q̄ſi
diceret. parat' ſum ſubire te
ſtimoniū eorū quib' magis
ꝗ̄ mihi credis. Hoc cum di
xiſſet. vn' aſſiſtens miniſtro
rum dedit alapā ieſu dicēs.

Sic reſpõdes pontifici.q̃ſi
notaſſet Annam de ſtulta ĩ
terrogatõne. Non leuis ſed
grauis haud dubiũ fuit illa
ꝑcuſſio quã tanta vigilantia
deſcribit Johannes euãge
liſta.q̃ etiã ⁊ alia plura enoꝛ
mia chꝛiſto illata ſiluit. Sꝫ
neqꝫ ſi modica fuiſſet de ipa
ꝓphetia ↄtexta fuiſſet. Ait ei
Hieremias Threnoꝝ .iiij.
Dabit ꝑcutienti ſe maxillã.
Et Michee.v. Percutient
maxillã iudicis iſrl̃. Sed ſi
foꝛte modica aut paruipen/
denda tibi apparet illa ꝑcuſ
ſio.attende diligenti⁹ q̃s ſit
q̃ percutit̃. quis deniqꝫ ꝑcu/
tiens.⁊ apparebit foꝛſitan in
iurie magnitudo. quã nõ ſo
lum actus ꝑcuſſiõis ſꝫ agẽs
monſtrabunt ⁊ paſſum. Si
eñ magiſter ciuiuꝫ a ſubdi/
to alapam ſuſciperet quan/
ti putatis eſtimaret ĩ iniuria
Quanti vero ſi pater a filio.
vl̃ ꝓnceps a plebeo. Aut qđ
maius ẽ ꝓncipũ monarcha
imperatoꝛ a ruſtico. Et qđ
oĩno intolerabile videret̃.
ſi ſummus põtifex papa ro/
man⁹ huiuſcemodi pateret̃
iniuriaꝫ a quolibet minimo
ſtabulario. Nouit eſtimare
hanc iniuriam dauid vnct⁹
in regeꝫ.qui cum nõ animo
nocendi ſed ꝓferẽdi teſtimo
nium Saulis a domino ꝓ/
iecti ac ſui moꝛtalis inimici
abſciderat oꝛaꝫ clamidiſ ſue
in ſpelunca odollam percuſ
ſit coꝛ ſuum dicens. Propi/
cius ſit mihi deus. eo ꝙ ab/
ſcidiſſet clamidis oꝛam chꝛi
ſti dñi.j. Reguꝫ.xxiiij. Et tñ
hi omẽs memoꝛati natura/
li ↄditiõe pares.qꝛ homĩes
tñ eque moꝛtales. Sꝫ ecce
nunc ꝑcutit̃ a luto figul⁹.ab
infimo ſumm⁹. a peccatoꝛe
deus. a mancipio domin⁹.
a creatura creatoꝛ. a vili oꝛ/
bis poꝛtione vniuerſitatis
gubernatoꝛ.ab eo quẽ redi/
mere venerat piiſſim⁹ redẽ
ptoꝛ. Cuius tanta in creatu
ras auctoꝛitas ⁊ tanta crea/
turaꝝ obediẽtia vt magꝭ om
nia in nihilũ redirent q̃ꝫ na/
turalibꝫ ſuis actionibꝫ vl̃ mi
nimã ei⁹ trãſgrederent̃ oꝛdi
nationẽ. Hoc celum ſuo re/
gulari curſu. hoc ſtabilitate
terra. hoc ſuis ponderibus
elementa. hoc in continua ⁊
concoꝛdi pugna. hoc deniqꝫ
in omniũ coꝛpoꝛaliũ. conti/
guatione nullo vacuo. inter
rupta. ceteriſqꝫ multis cla/
riſſime demõſtratur. Hunc

tantum ꝑcutit puluis viliſſi
m⁹ q̇ niſi ab eo q̇ ꝑcuſſus eſt
ꝯſeruaret̃.in nihilū ꝯtinuo
redigeret̃. Ita de hac ꝑcuſſi
one ſenſit Chriſ.cu ait. Hor
reas celū.exceſſū mēt ꝫ pate/
re terra dn̄atoris lōganimi
tatē ⁊ ſeruoꝝ indeuotionez.
Tale charıſſimi cogitate eū
q̇ patit̃ q̄tiēs paſſionem ei⁹
meditamini ne paruipēden
da videat̃ q̄cunq; illata iniu
ria. Nō eīm hō purus eſt ſed
verus et immēſus atq; etn⁹
de⁹.⁊ ſi non ſm naturā diui
nā q̄ impaſſibilis eſt.ſm hu
manā tm̄ ſibi vnitā ſuppoſi/
taliter patiat̃. Quantū autē
ſit deū pati ꝑ hoīe nūq; po/
terit q̇s ſatis mortalis cogi
tare.q̄ꝛ eīm infinitus ē q̇ pa/
titur.q̄libet illata paſſio.q̄n/
dam ſortit̃ infinitatez.ꝑpter
quam etiam quelibet ſuffice
ret.⁊ vt communiter d̄r vel
vnica guttula ſanguīs effu/
ſa ꝑ totius mūdi etiaz iuſta
redemptōe.niſi in effuſione
tanti ſanguis amoris mag/
nitudinē etiaz groſſiſſimis
hoīb; placuiſſet demōſtrare
Unde cuilibz deuoto ad ex
ercitatōez cuiuſcūq; intēſiſſi
me deuotiōis h̄ ſolū ſuffice/
ret.deū ſcʒ paſſum.etiā ſi ſo
lum verbū iniurioſum ꝑ ho
mine.vt nō opus eſſʒ ad eo/
rum q̇ paſſus eſt multiplici
tatē oculū reflectere. Ualde
eīm plus diſtat deum ſm ſe
impaſſibilē voluntarie pati
ſm naturā aſſūptā q̄ʒ deum
patientē h̄ magna vl̄ illa mo
dica pati. Ibi eīm infinitas
q̄dam ītereſt.h̄ finitas ſola.
q̇d diſtātia int̃ penā et penā
tm̄. Ideo ſꝑ in oīb; dīcēdis
cogitet̃.q̄ꝛ deus eſt q̇ patit̃.
q̄ꝛ creatura peccatrix eſt q̄ ī/
fert paſſionem. Sʒ nunc re
ſpōdentis dn̄i māſuetudinē
audiam⁹ Si inq̇t male locu
tus ſum.teſtimoniuʒ ꝑhibe
de malo.ſi bn̄.cur me cedis.
Qua reſponſione māſuetiſ/
ſima ſerui iniuſticiaʒ aperte
arguit in damnatū hominē
ꝑcutientis. Poſt ſuſceptam
itaq; alapā miſit eū Annas
ligatū ad Caypham ponti/
ficem.vbi ſacerdotes ſcribe
pharıſei ⁊ ſeniores ꝯueneſt.
Dēs hi in mortē ih̄u xp̄i ma
chinati ſunt.vt cum xp̄s ab
omni iudeoꝝ genere ṗncipi
bus.ſ.⁊ doctorib; religioſis
⁊ popularib; damnaret̃.ſine
ambiguitate putaret̃ morte
digniſſimus. Sequebatur
autem Petrus a longe.quia

trahebat amoꝛ.ſꝫ a longe.qꝛ
retrahebat timoꝛ. Uerū i h
maria eſt nob veneratōe ad
mirādus.ait Raban⁹ ꝙ do/
minū nō reliqͥt etiam cū ti/
meret. Qui em̄ timet nafē eſt.
ꝙ ſeqͥt deuotionis. ꝙ negat
obreptōnis .ꝙ penitet fidei.
Lu. Et accenſo foci igne in
atrio ⁊ circūſedētib᷒ illꝰ erat
Petr⁹ ī medio eoꝝ. Math.
Exeunte autē illo ianuam.
rurſus alia ancilla cepit di/
cere circūſtantib᷒.⁊ h erat cū
ihu nazareno. Lu. Et alius
videns illū dixit. Et tu de il
lis es. Joh. Dixerūt quoq̄
ei.ſcꝫ circūſedentes. Nūqͥd
⁊ tu ex diſcipulꝰ ei⁹ es. Mat.
Et iteꝝ negauit cū iuramē/
to.qꝛ nō noui hominem. Et
poſt puſillum. Lu. interual
lo facto quaſi vnius hoꝛe.
Marcus.acceſſerūt q aſta/
bant ⁊ dicebant Petro. Ue
re tu ex illis es. Mar. Nam
galileus es. Matth. Nam ⁊
loquela tua manifeſtū te fac
Johā. Et dixit vnus ex ſer/
uis pontificis cognatus ei⁹
cuius Petrus abſcidit auri
culā. Nonne ⁊ ego te vidi in
oꝛto cum illo. Mat. Tūc ce
pit. Mar. anathematizare.
Matth. deteſtari et iurare.

qꝛ nō nouiſſet hominez. Et
ꝯtinuo Lu. adhuc eo loquē
te. Marc⁹. iteꝝ gallus cāta/
uit. Notetꝰ hic ꝑ ꝯcoꝛdantia
euangeliſtaꝝ ꝙ tres ꝑmi nō
deſcribūt ductōnem ihu ad
Annā .quā in ſua ductione
ad Caypham putabant ſa/
tis incluſam.eo ꝙ ad Annā
de p̄cepto Cayphe ⁊ quia ſo
cer fuit Caÿphe .in q videtꝰ
Caÿphas honoꝛatus.duc/
tus eſt. Sꝫ volentes trinaꝫ
Petri negationē deſcribere.
Pꝛimam ſcribūt quaſi coꝛā
Caÿpha factā.eo ꝙ qcqͥd fa
ctū eſt coꝛā Anna . Caÿphe
imputatꝰ. Item eſt ꝯſideran
dum ꝙ in qualibet negatōe
Petri.perſone multe locute
ſunt ſicut in tumultu fieri ſo
let. Ideo vnus euāgeliſta re
citat vnā ꝑſonā.q ꝑoꝛ vꝰ ꝑn/
cipaliter locuta eſt.ali⁹ aliaꝫ
vel multitudinez introducit
Petrus qꝫ quaſi arūdo nu/
tans inter amoꝛē et timoꝛeꝫ
turbatus.nunc exījt.nūc re/
dījt.ac ſibi loqͥntib᷒ varia re
ſpondit.eandem tn̄ negatio/
nis ſententiā habentia neſci
ens velut turbatus qͥd dice
ret vel ageret. Idcirco et in
locis negationū videtꝰ diffe/
rentia de gallicātu.ter nega/

uerat. Dicũt em̃ plane ante
q̃ȝ gall⁹ cantabit. qđ non niſi
de p̃ma intelligi poteſt. ſiq̃/
dem ante ſecundũ eſt p̃mus
Marcus autez ait. Anteq̃ȝ
gallus bis. Lucas. cãtet. ter
me negabis. ꝛ ita ꝓſequens
iſtam. dicit gallum poſt pri/
mã negatiõez cantaſſe. Ubi
notat Auguſtin⁹ in de con/
cordia euangel'. ꝙ trina ne/
gatio petri ĩtelligiẽ q̃ſi vna
negatio continuata. que to/
talis inchoata eſt ante p̃mũ
gallicantũ. cõſummata ē au
tez ante ſecundũ. Ideo tres
loquunẽ de illa habendo re
ſpectũ ad inchoatõz. Mar.
vero ad ↄſummatiõem nec
repugnat ꝙ vtrũq̃ȝ chriſtus
dixerit. nunc ꝛ Marcus po
nit de bis. nunc ꝛ alij ponũt
ter ad maiorem exaggerati/
onẽ. Nec Verſo. poſſet for/
te intelligi ꝙ gallicantũ pri/
mum Petrus non audiuit.
ſed ſecundũ. et ita tertio di/
cere anteq̃ȝ gallus cantet. ita
vt Petrus audiat. ꝛ h̃ fuit ſe
cundus gallicant⁹. Marc⁹
vero ſimpl'r anteq̃ȝ cantet.
non referendo ad Petri au
ditũ. Pulcre ſatiſ de h̃ loqui/
tur Lira ſup Math. Pote/
rat forte ꝛ Petr⁹ in p̃ma ne/
gatõe ter negaſſe anteq̃ȝ gal
lus cãtaret. qꝛ nõ negãt euã
geliſte plures q̃ȝ tres fuiſſe
negationes. Nec ꝑ text⁹ ve/
rificatiõe. Sȝ ecce reſpicia/
mus in auctorẽ nr̃m q̃ corã
Caypha et ↄſilio ↄgregato
ↄſtitutus blaſphemaẽ mul/
tipliciter ab inimicis. Et fo
ris negaẽ ab amico cuȝ exe/
cratione et iuramento. Ex
vtroq̃ȝ creſcit triſticia et do/
lor in xp̃o Et puto amplius
ex Petri negatõe q̃ȝ iudeoꝝ
blaſphematiõe. Doluit non
modice fons pietatiſ tẽptati
onem ad tm̃ inualuiſſe in di
ſcipulo quẽ vt fortiorem ca/
put ceteroꝝ ↄſtituit vt cum
execratiõe ſuſpſius negaret
cui vſq̃ȝ ad mortẽ aſſiſtere ꝑ
mittebat. Si enim vſq̃ȝ ad
mortẽ ↄtriſtatus ē dum ad/
huc futuꝝ cogitabat q̃ȝtum
doluit dum p̃ñtem audiuit.
Aggrauabat dolorẽ in xp̃o
ꝙ tã leui diſcipul⁹ tẽptatiõi
ceſſit. Siquidem nõ penis.
nõ afflictõib⁹. nõ terribili po
teſtate cuiuſquaȝ. ſed vnius
mãcipij ſola ē interrogatiõe
proſtratus. vt dicit Gregori
us. xviij. Moralium. §. ſexa
geſimo q̃nto. Et quidẽ in q̃t
idẽ ne ſex⁹ firmior terribile

mōſtraret ancilla eſt inq̄ren
te tēptatꝰ. Ruͬſuſq̄ʒ vt talis
ſexus infirmitas etiā officij
deiectōne vileſceret. non ab
ancilla ſʒ ab hoſtiaria eſt an
cilla req̄ſitꝰ Luc. Cōuerſus
aūt dn̄s reſpexit Petrū. Et
recordatus eſt Petrꝰ verbi
dn̄i. ſic dixit. q2 p̄uſq̄ʒ gallꝰ
cantet. Mar. bis. ter me ne
gabis. Reſpectꝰ h̄ ſm̄ Aug.
videt̄ ſpūalis fuiſſe faciens
in mentē Petri venire quoti
ens iam negaſſet dn̄m. ⁊ ver
bum dn̄i q̄ id futuꝝ p̄dixit.
Cui videt̄ ꝯcordare Leo ſer
mone q̄ incipit Inter om̄ia.
Reſpexit dn̄s Petrū et īter
calumnias ſacerdotū. inter
falſitates teſtiū. inter ſeden/
tiū ⁊ ꝯſpuentiū iniurias cō/
ſtitutꝰ illis turbatū diſcipu/
lū ꝯuenit oculis q̄bꝫ eū pre/
uiderat eſſe turbandū. et in
illū ingreſſa eſt ꝟitatꝭ inſpe/
ctio vbi erat cordis faciēda
correctio. q̄ſi q̄daʒ illi vox i/
ſonaret ⁊ diceret. Quid ha/
bes Petre. Quid in tua con
ſciētia recedis. Ad me reuer
tere. in me ꝯfide. me ſequere
mee paſſionis h̄ tempus eſt
nondū tua hora venit ſuppli
cij. Quid metuis quod et ip
ſe ſupabis. nō te ꝯfundat in

firmitas quā recepi. Ego de
tuo fui trepidus. tu de meo
eſto ſecurus. Conualuit vox
xp̄i in Petro. Nā Matthēꝰ.
Egreſſus foras fleuit ama/
re. Leo in ſermone q̄ incipit
Sacramentū. Felices ſan/
cte apoſtole lachryme tue q̄
ad diluendaʒ culpam nega
tionis virtuteʒ ſacri habue/
re baptiſmatis. Affuit enim
dextera dn̄i ih̄u xp̄i q̄ laben
tem te p̄uſq̄ʒ deijcereris exci
peret. et firmitatem ſtandi
in ipſo cadendi periculo re/
cepiſti. Scribit autem Cle/
mēs in ſuo itinerario qꝫ Pe
trus extunc duxit in conſue
tudinem vt trigintaſex an/
nis quibus ſuperuixit poſt
dominicaʒ paſſionem ſemꝑ
ſurgeret in p̄mo gallicantu.
oraret flendo vſq̄ʒ ad horaʒ
matutinā Redeamus nunc
ad ea que circa dominuʒ in
domo Cayphe acta memo/
rantur. Ait em̄ Mattheus
Princeps autē ſacerdotum
⁊ omne cōſilium querebant
falſum teſtimonium contra
Jeſum. vt eum morti trade
rent. ⁊ non inuenerunt. cum
multi falſi teſtes acceſſiſſēt.
Marcus cōuenientia teſti/
monia nō erant. Nouiſſime

aũt venerũt duo falſi teſtes
tãq̃ maiora incõueniẽtia di
cturi Marc⁹. Nos inquiũt
audiuim⁹ eũ dicentem. Ego
diſſoluã templũ h̃ manufa/
ctum et poſt triduum aliud
nõ manufactum edificabo.
Et nõ erat ↄueniẽs teſtimo
nium eoꝝ. q̃a inſufficiẽs ad
mortẽ ↄdẽnatõz. Teſtes illi
duplicit̃ falſũ teſtati ſũt ſm
Joh. Et qꝛ nõ eodẽ ſenſu i/
tellexerũt ⁊ teſtati ſũt q̃uo di/
cebãt̃. a xp̃o em̄ dicebãt̃ ꝟba
de tẽplo ſui corpis. ab ill' de
tẽplo materiali Salomõis
Et ſcḋo qꝛ etiã in ipis ꝟbis
calũniant̃ addẽtes q̃dam et
mutantes. Saluator dixit
nõ p̃cipiendo. ſ3 p̃dicendo.
Soluite. i. ſoluetis tẽplũ h̃.
Jpſi aiunt. Ego diſſoluam
templũ h̃ manufactũ. Uos
inq̄t ſoluite. nõ ego. qꝛ illici/
tum eſt vt ipſi nob inferam⁹
mortem. Deinde illi vertũt.
Et poſt triduũ aliḋ nõ ma/
nufactũ edificabo. vt ꝓpe ḋ
tẽplo iudaico dixiſſe videãt̃
Dñs aũt vt oſtenderet ſe de
ſpũali tẽplo ſui corpis locu/
tum. nõ dixit edificabo ſ3 ex
citabo illud Joh. ij. Aliḋ eſt
edificare. aliud excitare. Ex/
citare em̄ eſt a ſomno natu/
re vl' mortis reuocare. qḋ ñ
ↄuenit niſi tẽplo ſpũali Fue
runt nihilomin⁹ ⁊ falſi teſteſ
ſm Nicolaum de Ly. ⁊ ſi ve
ra ⁊ ſenſũ nõ mutaſſent. q̃m
falſam habuerũt in teſtificã
do intentionem. Uolebant
autẽ ꝑ h̃ ꝓcurare mortez in/
nocentis Sed qꝛ nõ erat cõ
ueniens eoꝝ teſtimonium.
Marcus. Exurgẽs ſũmus
ſacerdos in mediu3. volens
ab eo inexcuſabilẽ elicere ac
cuſatõez. Sicut ſcp̃tum eſt
Hiere. xviij. Uenite cogite/
mus contra eum cogitatio
nes. Non em̄ peribit lex a ſa/
cerdote. nec ↄſilium a ſapiẽ/
te. nec ſermo a ꝓpheta. Ueni
te ꝑcutiamus eum lingua ⁊
nõ attendamus vniuerſos
ſermones eius. Et recte in/
quit Rabanus. cõuenit no/
men pontificis actionis ſue
ſtrennuitati. Interp̃tat̃ em̄
Cayphas inueſtigator. vel
ſagax. ſiue vomẽs ore. Sa/
gax em̄ fuit ad ꝑſequendaz
⁊ explendã doli ſui neq̃tiam
ſed impudens ad ꝓferendũ
mendaciũ. et appetendũ ho/
micidium. Jra ergo p̃ceps
et impatiens nõ inueniens
calumnie locum exiuit de
ſolio pontificez vt inſaniam

mentis motu corpis demō
ſtraret. Dixit ergo. Non re/
ſpondes ad ea q̄ obĳciūtur
tibi ab his. Quanto em̄ Je
ſus tacebat. ait Rabanus.
ad indignos. tanto magis
pontifex furore ſuperatus
eum ad reſpondenduꝫ pro/
uocat. vt ex qualibet occaſi/
one ſermonis locū inueniat
accuſandi. Jdeoq3 dn̄s ihs
Marcus. tacebat. ⁊ nihil re
ſondit. Sciebat em̄ ihs q̄ſi
deus q̇cq̇d reſpondiſſet tor
quendū ad calumniā. Jnu/
tilis em̄ erat rn̄ſio ihu nullo
eam acceptante. Soluꝫ em̄
ibi erat iudicĳ figura. in ve/
ritate autem ſeuiſſimoꝝ cō/
curſus latronū. verificataq3
eſt ꝓpheria. Quaſi agnus co
ram tondente ſe obmuteſceet
et nō aperuit os ſuū. Mar/
cus. Rurſus ḡ ſumm⁹ ſacer/
dos interrogauit eum. et di
xit. Matth. Adiuro te ꝑ de
um. vt tu dicas nob̄. ſi tu es
xp̄s filius dei. Marc⁹. bene
dicti. Ob nominis dei reue
rentiā ⁊ inuocatōnem ita re
ſponſionem temperat. vt et
veritatē inſinuet. et homici/
das futuri terrore ſupplicĳ
a malicia reuocare ſatagat.
Vn̄ ⁊ reſpondendo Math.
dixit illi ihs. tu dixiſti Mar
cus. Ego ſum. Math. Ve/
rūtamen ammodo videbitꝭ
filiū hois ſedentē a dextris
virtutis dei. ⁊ venientē ī nu
bibus celi. ad iudicandū ſcꝫ
vos iuſte ⁊ diſtricte. q̇ in pre
ſenti me iudicatis iniuſte et
malicioſe. Tūc p̄nceps ſacer
dotum ſcidit veſtimēta ſua.
vt magnitudinem blaſphe/
mie quā xp̄o imponebāt q̄ſi
tactus intrinſec⁹ dolore cor
dis ob dei ↄtumeliā hoc ſigꝰ
ſm morē iudaicum demon/
ſtraret. Vn̄ Leo papa in ſer
mone q̇ incipit. Spōſionis
nr̄e. Cayphas ad exaggerā/
dā auditi ſermonis inuidiā
ſcidit veſtimenta ſua. ⁊ neſci
ens quid h̄ ſignificaret inſa
nia ſacerdotali honore ſe ꝑ/
uauit. Vbi eſt Caypha ra/
tionale pectoris tui Vbi cō
tinentie cingulū. vbi ſupᵱhu/
merale vtutū. myſtico illo ve
ſtimēto amict⁹ ipē te ſpolias
⁊ ꝓprĳs manibꝫ pontificalia
mēbra diſcerpis. oblit⁹ p̄ce/
pti illius q̄d legeras de p̄n/
cipe ſacerdotum. De capite
ſuo cydarim non deponet ⁊
veſtimenta ſua non dirūpet
Tu vo a q̄ iā alienabat̄ hec
dignitas ipē tui executor es

opprobrij. vt ad manifestan/
dum finem veteris instituti
eadem diſruptio ſacerdota/
lem auferret ornatum. que
mox et templi diſcidit veluz
Hec ille. Sed quem de ſa/
cerdotali ſolio furor excuſſe
rat eadem rabies ad ſcindē
das veſtes prouocat. Quod
ergo facto oſtenderat verbo
euomit. dicens blaſphema/
uit. quid adhuc egemus te/
ſtibus ad eius ſcꝫ cōdemna/
tionem. Ecce nunc audiſtis
blaſphemiā. O miſer ⁊ prin
ceps. nequaꝗ̄ vero dixit cri/
ſtus blaſphemiam ſed eui/
dentiſſimis virtutibus ⁊ ſi/
gnis probatam veritatē. Tu
ipē blaſphemas. quod dei ē
deo nō attribuis. et verum
dei filium purum hominez
et blaſphemum dicis. Sed
ecce maliciā principis et hy
pocriſim. non primo hoc a
chriſto audierunt quꝫ ſe fi/
lium dei nominaret de celo
deſcendiſſe et ad ſalutem ho
minum veniſſe freq̄nter hoc
ab eo audierunt. frequēter
ſibi improperabant. vt de/
ſcribit Johannes in pluri/
bus locis ſui euangelij. Vn̄
Johannis. x. clare dixit eis
et probauit. quia vnum eſſet

cum patre deo. Et ipſi aie/
bant. De bono opere non la
pidamus te. ſed tu homo cū
ſis facis teipſum deum. Aū
ꝗ̄ tamen legitur ſummū ſa
cerdotem veſtimenta ſcidiſ/
ſe. Et quoniam ſufficienter
probare poterāt ſe deum di
xiſſe. cur alios ⁊ alios teſtes
aduocabant. niſi quia vt ali
quā apertiorem cauſam ſue
mortꝭ inuenire poſſent. Ha
bebant enim in lege promiſ
ſionem futuri meſſie. quem
deum eſſe multe eorum ſcri
pture teſtate ſunt. et cum di
uina operetur miracula ſm̄
prophetarum dicta. debe/
bant magis eum vt deū ho
norare. ꝗ̄ vt blaſphemum
damnare. Ideo nullam po
terant ex hac parte ſue inui/
die iuſtificationem habere.
quam habuiſſent ſi non qđ
dixerat operibus compro/
baſſet. Verum cum aliā ac/
cuſationem inuenire nō po
terant. ad illam cōuerſi ſunt
tandem. quam vt aggraua/
ret vt dictum eſt. veſtimēta
ſcidit. Unde ſtatim ad ha/
bendum intentū. chriſti ſci/
licet condemnatiōem. ſuis
ait complicibꝫ. Quid vobis
videt̄. Qui omnes dixerunt

Marcus. ⁊ ꝯdemnauerunt
reū eſſe mortꝭ. Heu ꝯſētiūt
oēs in malo q̄ nūq̄ꝫ ꝯcordāt
in bono. Uidete iudiciū oī
ꝑuerſitate repletū. Nā ijdeꝫ
fuere accuſantes. ijdem diſ/
cutientes. ⁊ ijdem ſententiā/
tes. ⁊ quē. vt dictū eſt. ſignis
ſcṗturis. ac doctrinis vera/
ciſſimis veniſſe ſaluatorem
oīm ac verū dei filiū agnoſce
re poterant. ꝯdemnant. ⁊ tā
q̄ꝫ malefactorē dei inimicuꝫ
et blaſphemū vnanimit' iu/
dicant reū mortꝭ. Heu dile
ctiſſimi q̄ntū nomen id om
ni veneratōis cultu digniſ/
ſimū. nomē q̄d eſt ſuꝑ oē no
mē. in q̄ oē genu celeſtiū t're
ſtrium et infernoꝝ flectitur
cū tremore. in q̄ ſolo ⁊ nullo
alio oportet ſaluū fieri. rabi/
diſſimi canes dehoneſtāt et
vilipendunt dū impijſſima
cōmutatione ihm ſaluatorē
blaſphemū dicūt. ⁊ vt taleꝫ
ꝯdemnant in q̄ ⁊ demonuꝫ
maliciam vincunt. Quantū
hec in corde innocentiſſimi
dn̄i merorē exaggerāt. vł ex
eo ꝯſiderate qꝛ ablatio ho/
noris ꝑ infamiā inter om̄ia
que exterius homini infligi
poſſunt. nedū hoīes ſecula/
res ſine ꝟtute honorū cupi/
dos ſꝫ magꝭ apud ꝟe ꝟtuo/
ſos maxime ꝯtriſtat. ⁊ maxi
me fugiēda. Nā ꝓpt' honorꝭ ⁊
fame ꝯſeruatōeꝫ oia alia im
pēdimꝰ exteriora etiā vitam
naturalē. vt pꝫ. iiij. Ethicoꝝ
Et Salomon. Melius eſt
inq̄t nomen bonū q̄ꝫ vngen
ta precioſa. Eccleſiaſtes. vij.
Et Prouerbioꝝ. xxij. Meli
us eſt nomen bonū q̄ꝫ diui/
tie multe. ſuꝑ argentum em̄
⁊ aurum gratia bona. Hinc
Eccl'. xlj. Curam habe d' bo
no nomine. hoc em̄ magꝭ ꝑ/
manebit tibi q̄ꝫ mille theſ/
auri magni et precioſi. Ho/
nor em̄ ꝓprie ꝓmium eſt vir
tutꝭ. quia p̄miuꝫ eius. Ideo
circa ipm̄ vt oportet appeten
dum cōſiſtit virtus magna/
nimitatis. iiij. Ethicorum.
cap̄. viij. Cum ergo oīs vir/
tus i xp̄o fuit in ſummo. ipe
deniq̄ꝫ maximis erat hono
ribus dignus. conſequens
eſt ꝙ iniuſta eius cōdemna/
tio fuit maxime contriſtati/
ua. Aggrauabatur nimium
hec contriſtatio. inq̄ntū ſua
hec deteſtabilis inhonora/
tio in blaſphemiā patris re
dundabat. In quo em̄ pa/
terna maieſtas poſt eaꝫ que
diuine nature ꝟm ſe inferre

tur iniuriam magꝭ blaſphe/
mari poſſet ꝙ̃ in ſumme gr̃e
beneficio nobis exhibito .ꝗ
ſcꝫ filium ſuū incarnari con
ſtituit vt nobis eſſꝫ redem/
ptoꝛ .per quem creati ſumꝰ
hunc filiū dei negare.⁊ ſum
mū illud patris donū refu/
tare.ac maledictis aggredi.
ineſtimabilis eſt et patris ſi
mul et filij blaſphemia Hic
dicitur Joh.v.Qui nō ho/
noꝛificat filium nō honoꝛi/
ficat patrem qui miſit illuꝫ.
Et hoc eſt quod dominus
contra perfidos cauſaꝝ iu/
deos Johannis.x. Quē pa
ter ſanctificauit ⁊ miſit ī mū
dum.vos dicitis quia blaſ/
phemas.quia dixi filius dei
ſum Et ſi ad hec dicenda mi
tiſſimus dominus tūc mo/
tus fuit ex quo blaſphemus
culpatur.ſed vt talis tanꝙ̃
dignus moꝛte condemnaꝝ.
Jmo vt Auguſtinus dicit.
Ligatur vt latro.accuſatur
vt latro.plectitur inter la/
trones vt pꝛinceps latronū
Quid ſubeſt rationis.Poſ/
ſet hic ſeruire figura de nū/
cijs Dauid miſſis ad Anon
ad cōſolandum eum ſuper
pr̃is interitu q̃s Anon tur/
piter ꝯfudit ⁊ raſit.ſꝫ relinꝗ

tur ꝓpter vitandā ꝓlixitatē.
Sꝫ attēdite diligentius qꝛ
creſcunt regꝭ noſtri iniurie.
creſcunt cruciatus eius ⁊ pe
ne.Nam cōtinuo poſtꝙ̃ do
minum moꝛti tāꝙ̃ blaſphe
mum adiudicabāt.tradidit
impijſſimus pontifex mitiſ
ſimū agnū voluntati famu/
loꝝ crudelium.qui om̄es ir
ruerunt in eum.⁊ om̄eꝫ quā
cogitare poterant intulerūt
cōtumeliā velut canes vena
tici capta fera.vt dic̄ Chryſ.
Et amplius gloꝛiabantur.
qui maioꝛa inferre poterāt
conuicia.afflictiones et fla/
gella.vnde per totam illam
noctem miſerrime ac inhu/
maniter tractabāt regē glo/
rie in multis que narrant
euāgeliſte.Nam viri q̃ tene
bant eū illudebāt ei ꝟbis ſci
licet contumelioſis afficien
tes.et factis affligentes.Nā
Lucas Tunc expuerunt in
faciem eius.Faciem inquā
illam deſiderabilem in quā
vt Petrus.j.Petri.j.ait.an/
geli pꝛoſpicere deſiderant.
que omnes celos implet le/
ticia.immūdiſſimis nō mo/
do ſimplicibus ſputis.ſed
exſcreationibꝰ fediſſimis de
turpabant.Hinc Mathēꝰ

nõ dixit ſpuerũt. ſed expue/
runt. q̄ſi exſcreando ſpuerũt
nec vnꝰ tm̄ ſed plurimi. Jõ
Marcus ait conſpuerunt.
Quid rogo turpiꝰ. q̇d fediꝰ
vel dici vel cogitari poteſt.
faciem tam amabilem tam
ꝗ ſpecioſam tantis feditati
bus maculare Sed ſic futu
rũ eſſe ꝓpheta olim p̄dixerat
Faciem meã non auerti ab
increpantibꝫ et conſpuẽtibꝫ
in me. Deinde Lucas. Ve/
lauerunt eum. cedentes fa/
ciem illam quã patres corũ
cum multis ſuſpirijs ⁊ ingẽ
ti deſiderio videre deſidera
bant. magnis clamantes vo
cibus. Oſtende nobis faciẽ
tuã ⁊ ſalui erimꝰ. Venit tan
dez miſericors dominus p̄/
cibus annuens clamantiuz
faciem plenam gratiaꝝ oſtẽ
dit. Sed hanc infeliciſſimi
velabant. Velabant autem
vt Rabanus dicit. nõ vt eo/
rum ſcelera non videat. ſed
vt a ſeipſis ſicut quondam
Moyſi fecerunt. gratiã co/
gnitionis eius abſcondant.
Quod velamentum vſꝗ ho
die manet ſuper cor eorũ nõ
reuelatum. ſʒ damnabili ce/
citate contenebratum. Ve/
lato domino. Mattheus.

Colaphis eum ceciderunt.
et interrogauerunt eum di/
centes. Propbetiza nobis
chriſte. Quis eſt qui te per/
cuſſit. Nedum collum graui
bus feriũt ictibus. ſed ⁊ dei
virtutem ⁊ ſapientiaʒ velut
ſtultum illudunt. dicentes.
Prophetiza nobis chriſte.
Quis ẽ qui te percuſſit. In
contumeliã dicunt ſm̄ Ra/
banũ. quaſi ei qui ſe a popu
lo vt prophetam haberi vo/
luit cum non eſſet. Et mini/
ſtri alapis eum cedebant.
Mattheus. Alij autez pal/
mas in faciem eius dederũt.
Traditus fuit dominꝰ vo/
luntati eorum. idcirco qui/
libet omnem odij ſui furo/
rem vt voluit ſine cuiuſcũꝗ
prohibitione expleuit. ⁊ vbi
placuit vniuerſorum domi
num percutiendo in dorſo.
facie. collo moleſtabant Id
circo varijs modis percuſ/
ſum dominum memorant.
Sed nec illa tm̄. verũ mul/
ta hic non ſpecificata in euʒ
cõmiſerunt. Ideo dicit Lu/
cas Et alia multa blaſphe/
mantes dicebant in eum.
Hoc incredibile non eſt. ꝗꝛ
et barbam ſanctiſſimã euel/
lebant. genas vnguibꝫ velli/

cabant. quod ⁊ ſi euangeliſte
expreſſe non dixerunt. pro/
pheta tamen non tacuit di/
cens. Multiplicati ſunt ſu/
per capillos capitiſ mei qui
oderunt me gratis. Et iterū
alius propheta. Corp⁹ meū
dedi percutientibus . et ge/
nas meas vellentibus. Eſa.
q̄nquageſimo. Credi poteſt
inſuper fide pia alios p̲ cri/
nes traxiſſe et nōnullos cal/
cibus conculcaſſe. ſed et pu/
gnis cecidiſſe. Quam enim
in eo crudelitatem non exer
cuiſſent viri ſceleratiſſimi q̄
rum voluntati crudeli tradi
tus erat dominus angelo/
rum. Quas ignominias vt
ait intelligitur domin⁹ paſ/
ſus vſqꝫ mane in domo p̄n/
cipis ſacerdotū. Que ⁊ nos
deuoto compatienti quoqꝫ
animo per dies ſingl'os ma
tutinali hora meditantes.
ſaluatori noſtro grati vtinā
inueniamur, qui tanta pro
nobis dignatus ē ludibria
ſuſtinere. Mane autem fa/
cto inquit Mattheus. con/
ſilium inierunt omnes prin
cipes ſacerdotum et ſenio/
res populi. Lucas. et ſcribe
Mattheus. aduerſus Jhe
ſum. vt eum morti traderēt.

Ecce quanta ſollicitudo ait
Beda ſuper Marcum erat
iudeorum in malo . Tota
quippe nocte vigilauerūt vt
homicidium facerēt. Et cuꝫ
defeciſſent ſcrutantes ſcru/
tinio. vtputa ex teſtimonijs
nocturni et tenebroſi conſi
lij non habentes vnde apd̄
Pilatum tāquaꝫ reum mor
tis accuſare poſſent. Ideo
mane facto iteratur conſili/
um. ſi forte in illo aliquid in
uenirent. vl' diſcere poſſent
in quo dominum apud pre/
ſidem morte dignum accu/
ſarent. Sicut etiaꝫ ſ̄m Gre
goriū Omel'. xxv. Vis amo
ris intentioneꝫ multiplicat
inquiſitionis. propter quod
amāti ſemel aſpexiſſe. ſemel
queſiſſe nō ſufficit. Ita et li/
uor odij vindictā quam vna
via inferre non preualet alia
attemptat. Nec ſatis eſt odi
enti ſemel attēptaſſe ſed attē
ptare non ceſſat. donec con
cepta ſi poteſt odia deducat
in opera vindicandi. De h̄
ita loquit' Leo papa ſer. qui
incipit Inter omnia. Hoc
mane iudei nō ort⁹ vob' luc'
contulit ſed occaſus. nec ve/
ſtris oculis ſolitus dies pro
dijt. ſed impijs mētibꝫ noꝝ

tetre cecitatꝫ incubuit. Hoc
mane voƀ templū ꝛ altaria
diruit legē et ꝓphas ademit.
regnū ꝛ ſacerdotiū ſuſtulit.
in luctū eternū oīa feſta vr̄a
ꝯuertit. In iſtis em̄ inſanuꝫ
cruentūqꝫ ꝯſiliū iniſtꝫ tauri
pīgues vituli mľti fremētes
beſtie canes rabidi vt mor/
ti auctorē vite dn̄m glᷓe tra/
deretꝫ. Hec Leo. Cōgregati
itaqꝫ mane. Lu. duxerᷓt illū
in cōſilium ſuum dicentes.
Si tu es xp̄s dic noƀ. Non
veritatem deſiderabant. ait
Beda ſup Lucam. ſed calū
niam preparabant. Siqui/
dem in priori conſilio inter
rogabant. ſi filius dei eſſet.
quatenus ſi id confiteretur
contra eum ſm legem ſuam
que deoꝝ pluralitatem pro
hibuit ꝛ diuini honorꝫ vſur/
pationem ſub mortis inter/
minatione. damnatiōis ac/
cuſationē acciperent. Verū
qꝛ pilatꝰ apud quē accuſare
ꝓtendebant gentilis erat et
idolatra legꝫ edicta paruipē
dens. querūt. ſi tu es xp̄us
dic nobis. tacentes de filio
dei. vt ſi diceret. ego ſū xp̄s.
calūniarenẗ qꝫ ſibi arroga/
ret regiam poteſtatem con/
tra ceſaris ordinationem q̄

dignitatē regiā a iudeis ab/
ſtulerat. Et ob h̄ a rege pu/
niēdus eſſet. Lu. Et ait illis
Si voƀ dixero. nō credetis
mihi. ſ. qꝫ ego ſum xp̄s. ſicut
etiā alias nō credidiſtis nec
ꝟbis nec factis meis. Siq̄/
dem Johan. x. querentibus
iudeis. ſi tu es xp̄s dic noƀ
palam. R̄ndit. Loquor voƀ
et nō creditis. opa q̄ ego fa/
cio in nomie patris mei hec
teſtimoniū ꝑhibent de me.
Si autē interrogauero nō
reſpōdebitis mihi. ſicut nec
alias pluribus eius queſtio
nibus reſponderūt. neqꝫ di
mittetis. quia ſciebat coruꝫ
obſtinationem et precordia
ſm Theo. Ex hoc autem. id
eſt. poſt paſſionem meam et
reſurrectionem. erit filiꝰ ho/
minis ſedens a dextris vir
tutis dei. Quod impletū eſt
in aſcenſiōe. vt habeẗ Mar
ci vltimo. Cum ergo domi/
nus non de tempali regno
ſꝫ magꝫ eterno rn̄dit. ipi ca/
lūniari nō poterant de arro
gatōne regni iuxta intentū
ſuum. vt tn̄ aliquā occaſio/
nem acciperēt ꝯdemnatōis
iuſte. concludere volebāt ex
verbis ſuis qꝫ diuinum ſibi
arrogaret honorem. Unde

inferūt. Lu. Tu ẽs filiꝰ dei
ſcȝ naturalis. nō ħ ſcq̄bat̄ ex
ꝟbis xp̄i. q2 tñ verꝝ erat. no/
luit negare ſȝ nec affirmare
ne calūnie locꝰ pateret. ſȝ rñ
dit. vos dicitis. q2 ego ſum.
Maluit em̄ ſm Bedam ſe
xp̄m filiū dei ꝓbare ꝙ̄ dice/
re. Et licet ꝟbū xp̄i vos dici
tis q2 ego ſum. calūniam nō
haberet ſm veritatē. tñ ꝑ ſu
am maliciā cōcluſerūt. Lu.
Quid adhuc deſideramꝰ te/
ſtimoniuȝ. ipi em̄ audiuimꝰ
ab ore eiꝰ. q̄ſi diceret. ↄuictꝰ
eſt ꝓprio ꝟbo. O inſenſati ex
cecauit vos malicia. Audi/
ſtis ex ore eiꝰ dei reuerentiā
q̄ erat colēdꝰ nō blaſphemiā
q̄ erat crucifigendꝰ. Sȝ at/
tēdamꝰ in his ꝙ̄tus meror
pijſſimū cor dñi cruciabat.
dum infatigabilem in malo
ↄſtanciam. tam exactam inq̄
rendi diligentiā cerneret in
filijs ꝑditōis ad ꝑficienduȝ
ſummū malū. ſcelꝰ ſingulare
innocentis ſcȝ homicidium
īmo verius. ſi phas eſt dice/
re. deicidium. vt Bern̄. loq̄t̄
ita vt vigilijs noctis matuti
nam lucē iūgerent eadē inq̄
rendo. iterꝝ atqȝ iterꝝ replica
rēt ſi inuenire poſſent vnde
cepta peſſima ꝑficerēt. cū tñ

diſcipuli ſui in bono tā timi
di ꝛ tepidi. incōſtātes ꝛ fugi
tiui. ſicqȝ miſtri dyaboli ſua
diligētia et calliditate longe
vincerent famulos dei. Sic
dñs ipe ꝑdixit. Prudētiores
ſunt filij hꝰ ſeculi in genera/
tōne ſua filijs lucis Lu. xvj.
Poſt funeſtū aūt ↄſiliū. poſt
inſanas calūniantiū voces.
poſt cōmenticias ſubordia/
torꝝ teſtiū falſitates. ad exa/
men Pilati pontificū dele/
gatione trāſfert̄. Sicut ait
Lu. Et ſurgens om̄is mul/
titudo eorꝝ duxerūt illū Mat
theus vinctū. Joh̄ ad Cay/
pham in ꝑtoriū. Matheꝰ.
Et tradiderūt eū pontio pi
lato ꝑſidi. Nō Joh̄. ait ad
Caypham in ꝑtorium. Au/
guſtinꝰ exponit ſuꝑ Joh̄. ita
ↄtigiſſe. vel q2 Cayphas dā
nationis xp̄i cauſa perrexit
in pretorium ad Pilatum.
Aut pilatus in domo Cay/
phe pretoriū habebat. ꝛ tan
ta fuit amplitudo vt vtroſ/
qȝ capere potuiſſet. et ſeorſū
habitantem dominū ſuum
et ſeorſum iudicē ferret. Ni/
colaus de Lyra vero dicit
ꝙ textus non debet habere
ad Caypham ſȝ a Caypha.
ſic etem̄ dicit habere textuȝ

in greco.in q̄ ideomate ſcri/
pſit Johes. Duct⁹ em̄ erat
dn̄s a domo i q̄ habitabat
Cayphas ad domū habita
tionis Pilati q̄d ꝓtoriū vo/
cabat qꝛ in ea iudicare ſole/
bat. Ducebant aūt vinctum
Moris em̄ eoꝝ erat ait Be
da ſup Marcum. vt quē ad
iudicaſſent morti. vinctū iu/
dici traderent. Attamen nō
tunc ꝓmum ligauerunt euz
ſed mox compꝑhenſuz nocte
in oꝛto vt Johannes decla
rat. ligauerūt. et ſic duxerūt
eum ad Annam ꝓmuz Hec
Beda. Ter aūt legit dn̄s li/
gatus. i oꝛto. ꝛ apud Annā
vt ſcribit Johānes. ꝛ hic vt
dicunt Matthe⁹ ꝛ Marc⁹.
et veriſimiliter ego ad ſtatu
am dū flagellaret. Cogitet
aīa deuota q̄ꝫtū coartabant
manus illas pijſſimas toti⁹
boni largitrices et eo duri⁹
ꝯſtrinxerunt q̄ cum q̄ſi ma/
leficum ſuis e manibꝫ dila/
bi ſuſpectꝫ maleficijs timue
runt. Neqꝫ em̄ tam vigilan/
ter trinā eius ligatiōem per
euangeliſtas ſpūſſanct⁹ elo/
queret niſi in his iniuriam
multā ꝛ penam duram ſuſti
nuiſſet. Eius inq̄ꝫ q̄ perpe/
tuis abſoluit vincul' alliga/
tos. Tradiderunt aūt dn̄m
pontio Pilato p̄ſidi ſm̄ Ly.
ſup Math. Ponti⁹ erat no/
men ꝓꝓrium. ideo ꝓmo loco
ponit. Nō em̄ ſolent cogno/
mina ꝓꝓrijs noībꝫ anteponi
Etiam nomē illud ſatis cō/
mune eſt in burgundia vn/
de Pilatus iſte erat oꝛiūd⁹.
Erat em̄ natione lugdunēſ
vt dicit mgr̄ in hiſtoꝛijs. et
Joſephus libꝛo antiq̄tatū.
Pilatus aūt erat ei⁹ cogno/
men. Preſes nomen eſt offi
cij ſui dictuz a p̄ſidendo. q̄a
p̄ſidebat iudeis ibidez miſ/
ſus a romanis. Hec Lyra.
Tradiderūt aūt Pilato. vt
ait Leo ſer. q̄ incipit. Decur
ſis dilectiſſimi. tanq̄ꝫ roma/
nis deuoti legibꝫ om̄e iudi/
ciū ptāti ceſarꝫ reſeruaſſent.
Sed experierūt executoꝛez
magꝫ ſeuicie q̄ꝫ arbitrū cau
ſe Offerebāt em̄ ihm̄ duris
nexibꝫ vinctum. colaphis et
alaphis freq̄ntibꝫ ceſū. ſpu/
tis oblitū. clamoꝛibꝫ p̄dam
natum. vt inter tot p̄iudicia
quē oēs vellent ꝑire non au
deret Pilat⁹ abſoluere. Hec
Leo. Impleta eſt hec figu/
ra Judicum. xvj. de Sam/
ſone vincto a Dalida. et tra
dito Philiſteis ſcripta. de q̄

Hieronimus. Adeſt Sam
ſon vinctus a Dalida. i. xp̄s
a ſynagoga. vt in gloſa ſuper
Marcū. ideo etiaꝫ tradiderūt
ihm vinctum ptāti romane
vt h̄ modo alienos ſe oſtēde
rent ab eius interfectōe. Et
ꝓpť eandē cām Johā. ipi nō
introierūt in p̄toriū vt non
cōtaminarent̄ ſꝫ vt mandu/
carēt paſca. id eſt. panes azi/
mos. quos comedebāt i pa/
ſcate. Dies ceperant azimo/
rum inq̄t Albinus in quibꝫ
cōtaminatio illis erat in alie
nigene habitaculū introire
De q̄ Auguſtinꝰ ſup Johā.
O impia cecitas habitacu/
lo videlicet cōtaminari alie
no et non contaminari ſcele
re ꝓprio. Alienigene iudicis
p̄torio ꝯtaminari timebant
et fratris innocentis funde
re ſanguinē nō timebāt. Pi
latus g̊ obſeruantie iudeoꝝ
deferens exiuit foras de pre
torio ad eos. Math. Tunc
videns Judas q̄ eum tradi
dit ꝙ damnatus eſſꝫ. vidēs
inq̄ꝫ mentis conſideratōe ꝙ
damnatꝰ eſſꝫ ihs. cuiꝰ ſancti/
tatē et innocentiā expertus
fuerat. vel ꝙ damnatus eſſꝫ
ipſemet Judas. qm̄ ſuā dā/
nationē audiuit a xp̄o in ce/
na. quē ſciuit ꝓphetā veriſſi/
mū. penitētia ductꝰ. ſꝫ infru
ctuoſa. qꝛ ſine ſpe venie. ⁊ nō
ꝓpter amorē dei. ſꝫ ꝓpť enor/
mitatē rei ⁊ damnatōem ſui
Proceſſit ergo triſticia illa
ac mentiſ anguſtia ex huma/
na verecundia ⁊ timore pe/
ne. et ideo infructuoſa. Re/
tulit triginta argenteos p̄n/
cipibꝫ ſacerdotū et ſenioribꝫ
dicens. Peccaui. tradēs ſan
guinē iuſtum. Chryſ. Vide
veritatē vndiqꝫ fulgentē. p/
ditor de ſeipſo dat teſtimo/
niū ⁊ eoꝝ q̄ ꝯdemnauerunt
opilat ora. At illi dixerunt.
q̄d ad nos. ſ. de pctō tuo. qui
nō ſumꝰ rei in h̄. ⁊ nobis de
h̄ nō eſt cure. tu videris. id ē.
cum ad te ſpectat videre fa/
ctum tuū. Hyla. Profeſſio
audax atqꝫ ceca eſt. emiſſe ſe
iuſti ſanguinē audiūnt et tm̄
extra reatum ſe credunt. et ī
vendente ſcelus conſtituūt.
nec intelligere voluerunt ꝙ
ſi peccauit ille q̄ tradidit ſan
guinem iuſtū. multo amplꝰ
peccauerunt q̄ emerūt. et p̄/
cium offerendo diſcipulum
ad pditōem puocabant. Vi
dens itaqꝫ Judas ſe deriſū
lapſus in deſperatōnem. Et
piectis argētēis in templuꝫ

vnde recepti erāt. et receſſit.
⁊ abiens laqueo ſe ſuſpēdit.
In q̄ ſc̄m Hiero. grauius q̄ꝫ
tradēdo xp̄m peccauit. Cui⁹
rōem aſſignat Nicolaus de
Lira. qꝛ in traditōe xp̄i pec/
cauit ꝯ eius humanitatē di
recte. ſed in deſperatōne illa
peccauit directe ꝯ eius diui
nitatem. quia contra infini/
tatem diuie miſcdie. Et ecce
q̄ pecuniam magꝭ dilexit q̄ꝫ
dn̄m quē tradidit in culpa.
eam etiaꝫ vite ꝓprie p̄tulit in
pena. Nam pecuniā templo
tradidit. ⁊ ſeip̄m perdidit. la
queo ſe ſuſpendens. De hac
deſperatōe Iude ita loquit̄
Leo papa ſermōe q̄ incipit
Deſiderata nobis. Ad idul
gentiā traditoꝛ Iudas ꝑue
nire nō potuit. qm̄ ꝑditōis
filius cui diabolus ſtabat a
dextris ꝑus in deſperatōeꝫ
trāſijt q̄ꝫ ſacramentum xp̄s
generalis redemptiōis im/
pleret. Nam mortuo ꝓ omi/
bus impijs domīo potuiſſꝫ
etiā forte hic ꝯſeq̄ remediuꝫ
ſi nō feſtinaſſꝫ ad laqueum.
Sꝫ maligno coꝛdi nūc fur
tis fraudiū dedito. nūc par/
ricidionalibus commertijs
occupato. nichil vnq̄ꝫ docu/
mentoꝛum miſericoꝛdie ſal/
uatoꝛꝭ inciderat. nec p̄ijs ce/
perat auribꝫ dn̄i v̄ba dicen
tis. Non veni vocare iuſtos
ſed peccatoꝛes. et Venit fili
us hoīs querere et ſaluū fa
cere q̄d ꝑierat. nec intellexe/
rat clementiā xp̄i. q̄ non ſo/
lum coꝛpoꝛeis infirmitatibꝫ
medebat. ſed etiaꝫ vulnera
debiliū curabat animaꝝ. di
cens paralitico. Confide fi/
li remittūt̄ tibi peccata tua.
dicēs et oblate ſibi adultere
nec ego te condemnabo. va
de et amplius noli peccare.
vt ꝑ oīa opera ſua oſtēderet
in illo aduentu ſuo ſaluato/
rem ſe mundi veniſſe nō iu/
dicem. A quo intellectu alie
natus eſt impius traditoꝛ.
inſurrexit in ſemetipſum nō
iudicio ſeuientis ſed furoꝛe
percuntis. vt qui vite aucto
rem interfectoꝛibꝫ vendidiſ/
ſet. in augmentū damnatio/
nis ſue etiaꝫ moꝛiendo pec/
caret. Et ī alio ſer. Merito
inq̄t tibi tua pena cōmiſſa ē.
qꝛ ī ſupplicium tuū nemo te ſe/
uioꝛ potuit inueniri. Et ali/
bi. ſer. q̄ incipit inter omnia
idē ait. Sceleratioꝛ omibꝫ
O iuda infelicioꝛ extitiſti. et
quem patientia non reuoca
uit ad dominuꝫ. deſperatio

traxit ad laqueū. Et ſequit.
Cur de bonitate eius diffi/
dis. qui te a corpis ⁊ ſangui
nis ſui cōmunione nō repu
lit. qui tibi ad cōphenden
dum ſe cum turbis et arma/
torū coborte venienti pacis
oſculūz non negauit. Sed
quia bomo incōuertibilis.
ſpūs vadens ⁊ nō reuertēs
cordis tui ſecutus es rabiē.
et ſtante diabolo a dextris
iniquitatē quā in ſanctoruz
omnium armaueras caput.
in tuū verticē retorſiſti. et qꝛ
facinus tuū omnē menſurā
vltionis excelſerat. te babet
iniquitas tua iudicem. te pa
tenter tua pena carnificem.
Hec Leo. Quāto tibi meli/
us fuerat. vt chriſti pedibuſ
te bumiliares. ⁊ ab eo indul
gentiā peteres qui nemineʒ
ad ſe venientē repellit. Ut ẽ
ei quia ad fontem miſericor
die p ſpem venie non rediit.
ſed ꝓprij ſceleris immanita/
te deſperauit. Interijt autē
ſuſpendio ſm Rabanū. vt ſe
oſtenderet celo terreqꝫ exoſuʒ.
qui nō ſolū proditōnis cul/
pam emēdare noluit. ſed eti
am bomicidij ꝓprij ſcel⁹ ad/
didit. Recte etiā ſuſpenſus
in aere interijt. ⁊ crepuit me/
dius. diffuſaqꝫ ſunt oīa viſce
ra ei⁹. vt dicit Petr⁹ Actu. j.
Quia ſepultura dignus nō
fuit. indignus ſiqdem boim
angelorūqꝫ ꝯſortio locūqꝫ ī
celo cū angelis accipere in/
dignus extitit. Indign⁹ fuit
in terra colligi īter bomīes.
quia in terra exiſtens ſocioſ
accepit demones. quib⁹ aer
ille caliginoſus vſqꝫ in diem
iudicij deputatus eſt locus.
Principes aūt ſacerdotum
acceptis argenteis dixerūt.
nō licet eos mittere ī corba
nā reſeruatoriū oblationuʒ
qa corbana bebraice obla/
tio eſt latine. quia pciū ſan
guinis eſt. Uere in boc ꝟbo
ait Hieronym⁹. culicē liqua
bant. glutiētes camelū. Si
eīn ideo nō mittūt pecuniaʒ
in corbanā. id eſt. gazopbila
tiū. ſiue in dona dei. quia p/
cium ſanguinis eſt. cur ipſe
ſanguis effunditur Unde ⁊
Auguſtinus. Qualis illa in
nocentie ſimulatio fuit. pe/
cuniā ſanguinis nō mittere
in arcbam. ⁊ ipm ſanguineʒ
mittere in ꝯſcientiā. Si eīn
illicitū fuiſſet pciū ſanguiniſ
in vſus tēpli expēdere. ſicut
ipe Dauid quia ſanguinem
multū fudit ab edificatione

tēpli eiꝰ ꝓhibitꝰ eſt.ij. Re.vij.
nō dubiū ꝙ ideo nō licuiſſet
vt oñderet̄ īmanitas homi/
cidij.in eo ꝙ dn̄s nō ſolū ho
micidiū.ſꝫ ⁊ omīa ꝯcurrētia
abominat̄. Vn̄ ⁊ Leo in ſer
mone q̄ incipit. Sponſiōis
Cuiꝰ inq̄t cordis ē iſta ſimu
latio ſacerdotū. cōſcia capit
qđ tēpli archa nō recipit Re
futat̄ illiꝰ ſāguis taxatō.cuiꝰ
nō timet̄ effuſio. Quātiſlibꝫ
vos circūtegat̄ fallacie vm
bracul̄.manet initū cū tradi
tore cōmertiū. qđ iuſtū ſan/
